

Caro pinguis et boni saporis, praefertim si piscis assetur. Capitur in mari inter scopulos.

Carauna. Magnitudinem et figuram habet ut *Juruucapeba*, differt tamen capite et colore corporis. *Pinnas* quoque eodem modo positas habet ut ille. *Os* autem obtinet lunatum; dentesque habet acutissimos, sed minutos: *Branchias* amplas, quae aculeis in postica parte sunt munitae. *Oculi* versus summitatem capitinis in lateribus positi non longe ab invicem haud magni, pupilla ovali nigra, quam ambit circulus ruber. *Squammulis* in universum vestitur lunatis, coloris miniati per totum, et ubique punctula nigra, magnitudine feminis papaveris insparsa habet, praeterquam in ventre.

Capitur in mari inter scopulos: estque edulis, molli admodum carne atque boni saporis.

Cururuca, species *Corvinae*; Piscis fluviatilis, sesquipedem longus, corpore oblongo; ore satis amplio, oculis mediocribus, nigris. *Pinnas* habet septem: unam per dorsum longitudinem ad caudam fere protensam, quae divisa est et prior pars latior, tres digitos ferme; et totidem longa, triangularis, spinis suffulta, posterior longior, sed exilius. Cauda fere quadrata. *Squammas* habet mediocris magnitudinis argenteas cum auro et subfusco paucō mixtas, praefertim in dorso et lateribus. Pinnae in dorso et lateribus ac

cauda, cinereae; in medio ventre flavescent, et fuscescent. Edulis est.

Guatucupa Fuba, in duorum Idem. Lib. 4. c. 4. longitudinem excrevit, dorso paulum incurvato. *Os* habet triangulare, acuminatum, dentes parvos acutissimos. *Oculos* magnitudine stuper Hollandici, pupilla magna, nigra, splendente circulo rubro. *Pinnas* habet molles sine spinis in lateribus; nimis unam in quolibet latere, post branchias, angustam, duos et semis digitos longam: duas tales junctas et ventre subter illas unica spina munita: et unam prope anum digitum longam ac latam, unica quoque spina armata. Ante medium dorsum versus occiput, incipit pinna definens ad caudae initium, quinque digitos longa, unum fere lata, quae duabus et viginti spinis erigitur: cauda duos paene digitos longa, unum lata, pinnam habet plus uno dito longam et quatuor latam paululumque exterius versus interiora arcuatam. Vestitur squammis paulo majoribus, coloris argentei et striis flavis et ex argenteo rufescentibus, secundum longitudinem extensis a capite ad caudam usque. In utroque latere etiam a capite ad caudam eminens linea tendit. *Caput* ex argenteo, rufo, flavo mixtum. Pinnae albae sive argenteae, caudae pinna rufa: venter albus.

Capitur in mari inter scopulos. Boni est saporis, et lingua et caro circa mandibulas longe optimi ut in Carpione.

C A P V T V.

De Pira Jurumenbeca, Tamoata, Acara, et Pira Pixanga.

TAB.
XXXII.II.12.
Idem 1. 4.

PIRA JVRVMENBECA vulgo *Boca molle*, quia molli ore et aquis extractis statim moritur: vivit in mari in coeno: oblongus piscis haud latus: novem aut decem interdum pedes longus, duos et semis latus, ubi latissimus. *Os* habet elevatum: quod ampliare et rotundare potest: oculos magnos, pupilla crystallina, circulo ex argenteo et brunno mixto. *Septem* habet pinnas, duas angustas postbranchiales, duos digitos longas: duas in infimo ventre junctas, duos fere

digitos longas, unum latas, unam post anum firma spina suffultam: sextam per dorsum extensam et bisectam; anterior ejus pars sesquidigitum longa, unum lata, triangularis, quam erigere et in rimam recondere potest, molllis et translucens, altera pars usque ad caudam fere porrecta, tres digitos longa, semidigitum lata, itidem molllis. Septima est cauda, duos fere digitos longa, sesquidigitum lata, figura pentagoni, cujus basi inferta in corpus.